

*R. J. ever*

DE

# Spectris, lemu-

RIBVS ET MAGNIS  
ATQVE INSOLITIS FRAGORI-  
bus, variisque præfagitionibus quæ  
plerunque obitum hominum, ma-  
gnas clades, mutationésque Impe-  
riorum præcedunt,

LIBER VNVS:

*R. J. ever*

LVDOVICO LAVATERO TI-

GVRINO AVTORE

*Pub 1570*

ILLINOIS INSTITUTE OF  
TECHNOLOGY LIBRARY  
CHICAGO, ILLINOIS



APVD IOANNEM

CRISPINVM.

*See page 111 and 112*



MAGNIFICO, PRVDEN-

TIA ET VIRTUTE PRÆSTAN-  
ti viro, D. Ioanni Steigero, amplissima  
Reipublica Bernensis Consuli, domino &  
patrono suo colendissimo, LVDOVICVS  
LAVATERVS TIGVRINVS

S. D.



MULTA ac varia à doctis pa-  
riter atque indoctis, cùm de  
aliis rebus disputantur, tum  
de Spectris quæ noctu & in-  
terdiu terra marique, in agris & syluis,  
item in domibus conspiciuntur atque  
audiuntur, hominésque territant: item  
de mirandis illis rebus, quæ plerunque  
hominum obitû, & imprimis magno-  
rum principum, atque mutationes insi-  
gnes imperiorum præcedunt. Multi qui  
nihil harum rerum vnquam vel vide-  
runt vel audiuerunt, putant omnia quæ  
de illis dicuntur, meras nugas & aniles  
fabulas esse: homines enim simplices, i-  
tè timidos & superstitiosos, sibiipsis per-

Multus  
est sermo  
de spe-  
ctris.

suadere, quòd hæc vel illa viderint & audiuerint, cùm res lōgè aliter habeāt. E diuerso sunt alij, qui cùm primùm aliquid audiūt, noctu præsertim, statim existimāt spectrū aliquod vagari, magnā-que animo molestiam capiunt, eo quòd res physicas à spectris non possint discernere. Quidam verò (præcipuè illi qui ex animabus defunctorum lucrum venantur) dicunt; pleraque quæ audiuntur & conspiciuntur, animas esse mortuorum, opem à viuentibus petentes, vt è cruciatu maximorum dolorū purgatorii liberentur. Multi non plebei solum homines, sed etiam excellentes viri, mirantur an sint spectra, & quidnam sint. Rogarunt etiam me amici non semel vt meam eis de his sententiam declararem. ¶ Operæ preciiū igitur facturus esse videor, si ex verbo Dei & probatis scriptoribus, quid de his rebus sentiendum esse videatur, breuiter & perspicuè exponam. Nihil enim vtilius ministris Ecclesiarū facere possunt, quàm vt homines de rebus necessariis quæ in controuersiam veniunt, ex verbo Dei, quod lucerna est (vt Psaltes dicit) pedibus nostris, & lumē semitarum nostrarum,

Vtile est  
res cōtro-  
uersas di-  
sceptare  
ex Ver-  
bo Dei.

gnúmque rerum vsum habet, de hac materia & aliis quæ cū hac affinitatem habent, ornatè & copiosè scripturum. Hoc enim in suo proœmio ad libellos Plutarchi, De defectu oraculorum, & figura ei consecrata Delphis (in quo de natura & effectiõibus dæmonum tractat) & in aliis suis scriptis videtur promittere. Ego hanc tractationem populari lingua scripseram: iam verò, quia aliis quoque vtilitatem allaturam confido, vtrunque in Latinam linguam trās-tuli, hinc inde quibusdam additis.

Dedica-  
tio.

Hunc verò librum, quem ex multis scriptis magno labore & studio collegi, tibi, clarissime domine Consul, more & instituto veteri offero & dedico. Non quòd tibi de his rebus, quæ in hoc libro tractantur, mea institutione opus esse iudicem (non enim ignoro quibus præceptoribus veram doctrinam didiceris: quòdque peritus multarū linguarum, bonos autores euolueris, & hodie quoque euolvas) sed partim vt huic meo libro apud alios quibus tua fides pietas & constantia, quam hætenus in propagāda vera doctrina defendendisque bonis legibus ostendisti, atque etiamnum ostēdis,

## Caput v.

Lamia.

**A**DHAE C saepenumero accidit, ut non solum homines faceti, sed & malitiosi mutato habitu aliis terrorem incutiāt. Vulgare hoc est apud nonnullos, ut aliquis certo anni tempore, reticulo aut persona adducta capiti, filios exterreat, quò assiduè laborent, & parentibus morigeros sese praebeant: postea eis dicunt, empusas, lamias & mormolycias conspici: illis persuasissimum est rem ita habere, & plerunque miserè sibi metuunt. Ceterum nò semper conducit, pueròs ita terrere. aliquando enim ex metu in morbos graues incidunt, & noctu etiam dormientes clamāt. Solomon pueros si officium suum negligant, virga castigandos esse docet, & ita metum illis incutiendum: non dicit persuadēdum illis, quòd vorandi sint ab Empusis, faemina nocturna, aut aliis monstris.

Interdum iuuenes hilares & iocosi vestes induunt quibus diabolos referāt, vel alioqui linteaminibus sese inuoluunt, ad alios terrendum. In quos si simplices homines incidunt, non dubitant, quin malos spiritus aut spectra quadam conspexerint. Non tamen semper tutum est alios huiusmodi iocis & ludis fallere: quàm enim malè hoc multis ceciderit, exemplis ostendi posset. Vsitatum est, ut  
iuuenes

iuuenes iocosi vnà iter facientes, noctu in diuersoriis, funem alligent sponda, vel stragulae vesti, vel sub sponda se abscondant, seque spectrū aut umbrā esse simulātes, alios ludificēt.

Accidit apud nos Tiguri, ut iuuenes hilares, mutato habitu in campo Ecclesiastico choreas duxerint, & vnus ex illis osibus phretum instar tympani pulsarit. Quidam his visis mox per totam urbem diuulgarunt, se mortuorum choream vidisse, periculūque esse ne maxima pestis mox subsequatur sit.

Adhac omnes norunt, scorta & scortatores sub hoc prae-textu interdū longo tempore rebus Veneris operam dedisse: & domesticis persuasisse, lemures in domo vagari, ne ipsi epi<sup>o</sup> aut τοφωρω deprehendi possent, sed optatis amoribus fruerentur. Non semel tales spiritus à magistratibus comprehensi, & publica infamia affecti sunt. Fures quoq; sub hoc prae-textu saepe nocturno tēpore alios expilarūt, qui quū putarent se audire spectra, fures illos nō abegerūt.

De hoc iā nihil dicā, quòd malus spiritus per res naturales, quarū mirādas virtutes nouit, mira efficere, hominumq; sensus fallere potest.

¶ Sacrifici & monachi simularunt se spiritus esse: quomodo Mundus sub hoc prae-textu Paulinam, Tyrannus multas nobiles & honestas matronas

Choreae  
Iemurum

tate & varietate rerum, recenset: quas qui volunt cognoscere, libros illos consulat: ego enim breuitati studeo.

Olaus Magnus Archiepiscopus Upsalensis in historia sua de gentibus Septentrionalibus, libro 2. cap. 3. tradit in Islandia spectra apparere forma hominum ipsis notorum, quibus incola dexteram dant, prius quàm de obitu illorum, quorum hæc formam assumunt, quicquam audiuerunt, nec antè dolum intelligi, quàm illa euanescent.

Hæc ex veteribus & recentioribus historicis, & aliis scriptoribus proferre volui, ut intelligatur spectra interdum apparere.

¶ Spectra apparere docet quotidiana experientia.

#### Caput xvi.

**I**N omnibus accedit, quòd nemo inficia-  
 ri potest, quin multi honesti, & fide digni homines vtriusque sexus, quorum multi adhuc viuunt, quidam ex hac vita migrarunt, affirment & adhuc affirmant, quòd aliquando noctu, aliquando interdum spectra viderint & audiuerint. Aliquis ambulat in suis adibus, spectrum adest: canes etiam interdum animaduertunt, applicant se pedibus dominorum, nolunt ab eis discedere, nam & ipsi sibi metuunt. Aliquis it cubitum, & se ad  
 f.iiii.

quietem componit, aliquid adest, stragulam vellicat, aut detrahit: aliquando ei insidet, vel in lectum quoque se componit: aliquando in cubiculo spatiatur. Visi sunt homines pedibus ambulantes, aut in equis, ignea interdum forma, noti multis, multo antè aut recèns defuncti. Factum etiam est, ut quidam qui in praeliis casi, aut naturali morte sublati sunt, suos vocarint, & ex voce agniti sint.

Spiritus  
opempe-  
unt.

Sæpe noctu auditi sunt spiritus quidam lento gradu incedere, screeare, gemere: interrogati quinquam essent, responderunt, se huius vel illius animam esse, & maximos cruciatus per peti. Si quis interrogavit, quomodo ex tam di-  
ris cruciatibus liberari possint, responderunt: Si certus Missarum numerus celebretur, peregrinationes ad diuos instituantur, & alia hu-  
ius generis opera in eorum gratiam fiant, se liberadas. Postea multa luce & gloria appa-  
rentes, dixerunt se liberatas esse, suisque bene-  
factoribus ingentes gratias egerunt: promise-  
runt se quoque apud Deum & diuam Virgi-  
nem pro illis intercessuras esse. Non autè sem-  
per sacrificos aut alios audaces & impios ho-  
mines fuisse qui se animas esse mentiti sint,  
ut supra de multis dictum est, hinc potest in-  
telligi, quod etiam in illorum cubiculis clausis  
apparuerunt, qui quum irent cubitum dilige-



ter adhibita lucerna inquisuerunt, nū quis ibi lateret. Solent hodie quoque multi prius quàm in lectum se componant, omnes angulos perlustrare, ut securius dormire possint: tamen nonnunquam audiunt quosdam eiulantes &c.

Sapissimè hoc est factum, ut qui fuerunt in domo aliqua, putarint aliquem ollas, patinas, orbes, mensas subuertere, & per scalas deicere: postquã dies illuxit, viderunt omnia suis locis fuisse collocata.

De quibusdã verò spiritibus fertur, quòd ianuam ex cardinibus euulsam abiecerint, omnia in domo turbarint & euerterint, sed postea suo in loco non reposuerint, quòdque tumultuãdo homines vehemèter perturbarint.

Noctu in monasteriis, & locis solitariis aliquando auditur strepitus, non secus quàm si viatores vasa vinaria religēt stipèntque, aut alij opifices sua opificia exerceant, cum omnes certum sit cubitum iuisse, seque somno dedisse.

Quando extruuntur domus, vicini noctu audiunt fabros lignarios, cementarios, & alios artifices nō aliter omnia tractare, quàm si labori diurno intenti essent: hoc ostentum ut faustum plausu excipitur.

Ædificā  
tes noctu  
audiūt  
spiritus.

Sunt qui physica ratione fieri putent, ut

quæ interdum audinimus, noctu nos quoque audire putemus: quam quæstionem doctioribus discutiendam relinquo.

In fodinis  
dæmones  
sunt.

Metallici testantur in aliquibus fodinis spectra vel spiritus videri, qui more aliorum metallicorum induti sint. Hi in puteis & cuniculis oberrant, videnturque in omni laborum genere se exercere, cum tamen nihil agant: fodere venas, quod effossum est congerere, in vasa infundere, machinam versoriam tractare. Rarissimè metallicos dicuntur ledere, nisi cachinnis aut maledictis fuerint ab eis lacessiti: tunc glareis eos petunt, aut aliàs eos ledunt. Præcipuè verò in illis fodinis versari dicunt, quæ metallis abundant.

cripsit ad me vir pius & doctus, Dauosii in alpiibus Rheticis argentifodinam esse, in quam Consul illius loci (Landammanum vocant) Petrus Buol, vir egregius, superioribus annis sumptus fecit, & ex qua opes non exiguas collegit. In illa spiritus vel demon montanus fuit, qui cum metallici res fossites infunderent vasis, plerunque diebus Veneris, valde negotiosus esse visus fuerit, metalla suo arbitratu ex uno vase in alterum infundens. Quod Consul ille non indignè tulit: quoties in fodinam descendere voluit, vel ascendere, cruce se muniens nunquam

quam laesus est. Accidit autem ut cum spiritus ille die quodam valde importunus esset, id metallicus quidam moleste ferens, conuiciis eum incesserit: iusseritque eum abire in malam rem, additis diris & execrationibus. Spiritus ille, operarij caput apprehendens ita eum torsit, ut facies in tergum verteretur. non tamen extinctus fuit: sed diu postea obtorto vel inuerso collo superstes, multis qui etiamnum viuunt familiariter notus fuit, & intra paucos demum annos è viuis excessit.

Georgius Agricola, cuius doctissimi libri de rebus metallicis publicè extant, in fine libelli sui de animantibus subterraneis, duplex genus facit illorù demonum qui in quibusdam fodinis versantur. Dicit enim quosdam truculètos esse & terribiles aspectu, qui plerunque metallicis infesti atque inimici sint. Talem fuisse Annebergium quendam, qui operarios duodecim àplius, flatu interfecerit, in specu qui Corona rosacea appellatur. Flatum verò emisisse ex rictu. equi enim specie visum esse. Eiusmodi etiam fuisse Snebergium, nigro cucullo indutum, qui in fodina Georgiana operarium è solo sublatum in superiori loco maxima cuiusdam concauitatis, quondam feracis argenti, collocarit, non sine corporis attritu.